



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Caput. IV. De Tentationibus circa Gulam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

CAPUT IV.

DE TENTATIONIBVS CIRCA
GVLAM.

XLVIII. **T**heophilus Religiosus Juvenis fatetur, multas quidem se tentationes pati, sed nullam sibi molestiorem accidere, quàm Gulæ tentationem, eò quòd audièrit, nullum vitium adeò Religiosum dedecere & probrosum illi esse, quàm istud, teste Cassiano coll. 13. dicente: *Interioris hominis castitas hujus virtutis consummatione discernitur; nunquam enim robustioribus amulis colluctari posse confidas eum, quem in leviori conflictu conspexeris ab inferioribus, parvisque superari.* Quæritur, quomodo contra hanc tentationem sit armandus?

Responsio.

XLIX. Primò jubeat illum sæpe perpendere, quàm bestialis, vana, brevis, corporique ac animæ nociva sit voluptas, quæ ex cibis percipitur, ac proin hortetur, ut cum Seneca dicat: *Ad majora sum genitus, quam ut mancipium corporis mei fiam.* Certè Petrarca judicavit, hoc vitium nullo modo efficacius, quàm gravi quâdam indignatione superari, cui etiam Aristoteles & Cicero sunt adstipulati.

LX. Secundò eidem suadeat, ut Spiritualium deliciarum sitim in se accendat, nam gustato Spiritu, desipit omnis caro; hinc S. Gregorius ait: *Gula per abstinentiam frangitur; sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem cibis Spiritualibus non replet; potenter enim corpus extenuat, qui amore cælestium*

lestium cor inflamat, quia, dum spiritualia desideria carnis valenter premit. Hoc certè medicum tam necessarium Cassiano est visum, ut dicere audeat: Nequaquam poterimus escarum presentium sperare voluptates, nisi mens contemplationi divina defixa, amore virtutum magis, & pulchritudine cœlestium delectetur.

LXI. Tertio illi suadeat, ut nihil extra temperet, veledat? uti jam olim etiam Cassianus l. 5. c. 2. monuit dicens: *Monachus hanc in primis sibi carnem nem judicet, ut non potius quidquam, non esus, nullam liberatione, ante stationem legitimam, communionis refectiois horam extra mensam percipere sibi permittere indulgeat.* Certè S. Philippus Neri dicitur loquutus, neminem fore vitum spiritualem, qui extra temperet saepe comedere consueverit.

LXII. Quarto ostendat ei gravitatem hujus vitii ex damnis, quæ ex ea colligi potest, quòd, ut S. Gregorius ait, ex uno gulæ vitio innumeræ vitiorum agmina ad conflictum animæ producantur. In speciebus vitiorum ea recensuit Innocentius dicens: *Gula Paradisum clausit, primogenituram Esau vendidit, pistorem Pharaonis suspendit, S. Joannem Baptistam decollavit, templum jerosolymitanum per Nabuzardan Coquorum Principem cepit, & Jerusalem totam evertit.*

CAPUT V.

DE TENTATIONIBVS CIRCA EBRIETATEM.

LXIII. **A** Pronianus civis per assiduas compotationes adeò hepar suum accendit, ut continuè